SEPTIMA DIOECESANA

SYNODUS

S. BENEVENTANÆ ECCLESIÆ


Ab Eminentiss. & Reverendiss. in Christo Patre, & Domino

FR. VINCENTIO MARIA

Ordinis Prædicatorum, Tituli S. Sixti S. R. E. Presbytero Cardinali Ursino, Archiepiscopo.

Celebrata die 24. Augusti MDCXCII.

SECUNDA EDITIO



BENEVENTI,

ex Typographia Archiepiscopali.

Anno MDCXCVIII.

DECRETUM
DE APERITIONE SYNODI

In Nomine Sanctiſſimæ, ac Individuæ Trinitatis
Patris, & Filii, & Spiritusſancti, Amen.

*FR. VINCENTIUS MARIA ORDINIS PRÆDICATORUM,
Miſeratione Diuina Tituli S. Sixti, S. R. E. Presbyter
Cardinalis Urſinus S. Metropolitanæ Eccleſiæ
Beneuentanæ Archiepiſcopus.*



Uccinis Sacerdotalibus ſeptem, ſeptimo die, ſeptimo circuitu, muri Jericho funditus corruerunt. (a) Septimam Nos Synodum, quæ buccina Sacerdotalis eſt, Deo propitio, exhibemus, ut errorum parietes, qui animarum pariunt ruinas, in parietinas omninò redigantur: Eccleſiaſtica vero diſciplina, ad cujus incrementum Sanctiſſimi Prædeceſſores noſtri anniverſariã Synodum ſtatutam inviolabili ſtudio ſervaverunt, vigeat, augeatur. Quapropter eandem Synodum ſuperiore anno jam indictam hac ipſa die 24. Auguſti 1692. ad Omnipotentis Dei, & JESU CHRISTI filii ejus Domini noſtri, SS. Deiparæ, S. Michaelis Archangeli, B. Apoſtoli Bartholomæi, Sanctorum Pontificum noſtrorum Januarii, & Barbati, Sanctorum Dominici, & Philippi Nerii, cæterorumq; noſtræ Civitatis Sanctorum Patronorũ, aliorumq; Sanctorum gloriam, honorem, & laudẽ apertam eſſe, atque inceptam volumus, promulgamus, & decernimus.

Reliqua decreta, nempè de modo uiuendi in Synodo. de Miniſtris Synodalibus, de præjudicio non afferendo, de non diſcedendo, de oratione publica, de fidei profeſſione, & de cæteris huiuſmodi, habentur in actis, quæ in Archiepiſcopali Cancellaria ſeruantur.

---

a *Joſue cap.6.*

CAPUT I.

De confirmatione Diœcesanarum Synodorum annis sex præteritis editarum.

Diœcesanas Synodos, una cum earum Appēdicibus annis 1686 1687. die 24. Augusti. 1688. die 25. Octobris. 1689. 1690, & 1691. consueta die 24. Augusti à Nobis editas, typis datas, & promulgatas; præsenti Synodo confirmamus, & ab omnibus, quorum interest, inviolabilitèr obsarvari mandamus, sub pœnis in illis statutis, & comminatis.

CAPUT II.

De superstitionibus eliminandis.

1 UT Religionis virtus inter morales prima; & præcipua, per quam Deo debitum cultum, & honorem exhibemus, munda, & immaculata servetur; Animarum Rectores omnem, illi oppositæ superstitionis speciem, sivè ad divinationem, sivè ad vanam observationem tendentem, eliminandam curent: plebemque sibi commissam edoceant, per hæc fideles (a) sensim fieri socios dæmoniorum.

2 Ad pacta siquidem cùm dæmonibus inita (b) pertinet, quod in nocte S. Joannis Baptistæ, mulierculæ segnem in aruis carduum carpentes, ab ejus flore si viguerit, arueritve concupiti Sponsi habendi, vel non habendi specimen desumunt.

3 Graviora sunt ea, quibus benedictarum rerum abusus accedit; nam pietatis specie impietas palliata grassatur. Ad quid enim nostræ Diœcesis alicubi, Dominica Palmarum, Clerici, & populus ad Cruces lapideas in compitis erectas, priùs genuflexi, deindè stantes benedictos olivarum ramos Cruci alligant, quos vel feria sexta in Parasceve, cum detegitur Crux in Ecclesia, vel Sabbato Sancto ad primum campanarum sonitum solvunt inde, & ad suos deferunt agros? Nonne ceremoniæ illæ in Rituali, Missalive, non præscriptæ, nonne tempus illud, & non aliud superstitionem, & vanam præseferunt observationem? Præterea ovorum benedictorum in Paschate cortices, benedictorum quoque ramorum frondibus commistæ, & circum præfatas Cruces disseminatæ, nonne dementiam præter id, quod intrinsecús latere potest, portendunt?

4 Parochi itaque perniciosos hujusmodi errores, & abusus, doce-

---

a 1. *Cor.* 10. b *ex c. Illud, quod* 26. *q.* 2.

cendo priùs, ut ignorantes advertant, deindè cogendo (ad tenorem Edicti S. Officii, quod in nostræ tertiæ Synodi Appendice præstò est) ut contumaces resipiscant, è suis paræciis omninò desterminent.

CAPUT III.

De Sacris Imaginibus.

SAnctissimi Tridentini Concilii Patres(*a*) omnem diligentiam, & curam ab Episcopis adhibendam voluerunt, ut Sacræ Imagines procaci venustate non pingantur, nec ornentur, quatenus omnis lascivia vitetur, cum Domum Dei deceat Sanctitudo. At nostra hac tempestate tanta pictorum ineptia succrevit, ut in Ecclesiarum frontibus, in baptisteriorum fontibus, & in reliqua Ecclesia, tabulæ tàm indocta manu depictæ videantur, ut risum potius excitent, quàm devotionem: cùm tamen rusticorum pertinaci inscitiæ non minoris constent, quàm si docto penicillo expressæ fuerint. Idcircò Ecclesiarum Rectoribus, Confraternitatum, piorumque locorum Administratoribus præcipimus, ne de cætero artis imperitos ad pingendum invitent, aliàs ipsi de proprio, quod perperàm impenderunt, persolvent.

CAPUT IV.

De Baptisterio Ecclesiæ Metropolitanæ.

1 BAptisterium, quod Dionysius (*a*) *Matrem adoptionis*, Ambrosius: *Fontem sacrum, & regenerationis Sacrarium* appellant, unicum olim in Civitate qualibet, idque permagnificum extrui consuevit, ut apud Paulinum (*b*) Cyrillum (*c*) & Gregorium Turonensem videre licet. Et quamvis in Civitate nostra unaquæque Parochia suum haberet baptisterium, illud tamen absque propria Cappella, & ut plurimum post Ecclesiæ januam, nullo habito rerum delectu, prostabat. Verùm Terræmotus causa factum est, ut præfata baptisteria jacturam passa, in deteriorem statum devenerint. Quocirca in nostra Metropolitana Ecclesia Magnum Baptisterium, qua par erat decentia, eaque, quam Sacri Canones tradidere, omnimoda forma ereximus, & ad illud omnes Civitatis Parochos, pro conferendo baptismate conventuros statuimus.

2 Quia verò munus baptizandi in nostra Metropolitana ad nos de jure spectat, & absentibus nobis, ad nostrum Archipresbyterum de

---

a *Sess. 24. de invoc. ven. & Reliq. Sanct. & Sacris Imaginibus.*
a *de Eccles. hierarc.* b *Ep. 12.* c *Catech. myst ag.*

de consuetudine: ne inter ipsum, & Parochos, neve inter ipsosmet Parochos lis ulla in Posterum oriretur, statutum, tàm de Archipresbyteri, & Parochorum consensu, quàm de nostra auctoritate, & beneplacito die 9. mensis Maii decurrentis anni in calce hujùs Synodi apponendum firmavimus, & præsenti constitutione pariter firmamus, eique perpetuum firmitatis robur adiicimus.

CAPUT V.

De Celebratione Missarum, & Divinis Officiis.

1 INfandum illud sacrilegii crimen, quod non ordinati sacrosanctum Missæ sacrificium celebrantes, & Pœnitentiæ non raró Sacramentum administrantes temerario ausu perpetrare per Italiā comperti sunt, nè fortè, quod Deus avertat, in nostra Archidiœcesi, Rectorum negligentia, contingat, Encyclicas literas à Sac. Congregatione S. Officii die 26. Januarii currentis anni nobis datas, & in Appendice transcriptas, dieque 29. Martii evulgatas, rursùs præsenti constitutione publicamus, mandantes omnibus Archipresbyteris, Rectoribus Oeconomis, & Vicariis præsertim foraneis, ut eas ad literam servent, nullique extero, sive secularis sit, sive regularis, se Presbyterum asserenti, facultatem divina celebrandi concedant, nisi à nobis, aut à nostro Vicario Generali, vel foraneis visis, & consideratis literis testimonialibus suorum ordinariorum, sive superiorum, talis facultas in scriptis eis concessa fuerit, sub pœnis etiàm corporalibus, arbitrio nostro reservatis.

2 Notum insuper facimus à Sac. Rituum Congregatione ad preces Cleri nostri per Nos eidem porrectas sub die 15. Semptembris 1691. concessum, ut festum S. Rosæ Limanæ nostri Prædicatorum Ordinis infra octavam S. Bartholomæi Apostoli principalis Patroni nostræ Civitatis occurrens in posterum celebrari, & transferri possit ad aliam diem non impeditam, arbitrio nostro in perpetuum præfigendam, quam diem quintam Septembris perpetuis futuris temporibus destinamus. Decretum verò Sac. Congregationis prædictæ in appendice apponemus.

CAPUT VI.

De Pœnitentiæ Sacramento.

1 CUm nullus Presbyter, sivè secularis sit, sivè Regularis (a) confessiones secularium etiam Sacerdotum in nostra Diœcesi,

a *Trid. sess. 23. de refor. cap. 15. Urb. VIII. Const. cum sicut* 96.

cesi, sinè examine, & approbatione nostra, privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili non obstantibus, audire valeat: ejusdem Diœcesis magnitudini consulentes, duplex anni tempus pro habēdo generali confessariorum examine volumus præfinitum, scilicet post Dominicam primam Quadragesimæ, & post Dominicā primam Adventus: nam quotidiana illa examinandorum, præcipuè Regularium, confluentia, irregularis est, & aliorum negotiorum expeditioni molesta.

CAPUT VII.

De Ecclesiæ Metropolitanæ Dedicatione.

1 Metropolitanam Ecclesiam nostrā Magnæ Deiparæ in cœlum assumptæ erectam, Apostolorum prædicationi synchronam, & à prædecessoribus nostris basilicè ampliatam, à nobis quoque pro viribus instauratam, ornatam, terræmotus pratim dejecit, partim quassavit; verùm ipsa Dei Genitrice, & Divo Philippo Nerio intercedentibus eam rursùs restituimus, restitutamque, Deo benedicente, solemni ritu dicavimus die 26. Maii decurrentis anni, anniversario ejusdem S. Philippi Nerii natali die recurrente, pro ut in consecrationis Instrumento, quod ad perpetuam rei memoriam in Appendice insertum dabimus.

2 Cum autem dedicationis solemnitas per singulos annos sit celebranda, ipso Domino exemplum dante (*a*) qui ad festum dedicationis Templi, omnibus id faciendi dans formam, cum reliquis populis eandem celebraturus advenit: Nos, ut opportunius id fieret, anniversarium diem in actu consecrationis in Dominicam primam post octavam omnium Sanctorum transtulimus, & translatum fore, & esse decrevimus.

3 Quod festum singulis annis tàm in nostra Metropolitana, quàm in aliis Ecclesiis Civitatis præfata Dominica celebrabitur cum octava (*b*): in Ecclesiis verò diœcesis tantum sub ritu duplici minori, (*c*) & sine octava.

CAPUT VIII.

De Altari Privilegiato.

1 Sancti Philippi Nerii Altare in Nostra Metropolitana Ecclesia à nobis solemniter dedicatum die trigesima mensis Maii decur-

a *De consecr. dist. 1. c. solemnitates* b *S. Rit. Congr. in una Neapolitana.* c *Exemplo Dedic. Basilic. Lateranem. in Breviar. Rom. die 9. Nov.*

decurrentis anni, hoc privilegio est à S. Sede Apostolica decoratum, ut quoties missa ad prædictum Altare celebratum pro anima cujuscumque Fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro Ecclesiæ indulgentiam consequatur, quatenus Domini nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum meritis suffragantibus, à Purgatoriis pœnis liberetur: pro ut latiùs in brevi sub datum Romæ die xx. Septembris 1691. quod in Appendice exhibebitur.

2 Cum itaque Altare hoc in tota Archidiœcesi unicum sit, quod tanto quotidiano, & perpetuo privilegio fulgeat, Animarum Rectores plebi suæ notum faciant, ut & qui defunctorum suffragiis student, & qui animæ suæ in posterum consulere, ut christianum est, voluerint, thesauro invento lætentur.

DECRETVM

De iis, quæ ad universas Constitutiones pertinent.

HOc decretum, sicuti extat in prima Synodo, in hac septima confirmamus, volumusque, ut omnes, & singulos arctet, ac si ad verbum hic insertum, & relatum fuisset.

DECRETVM

De Synodi Conclusione.

HÆc sunt, quæ Spiritui Sancto, & nobis decernenda visa sunt in præsenti nostra Septima Diœcesana Synodo, quam optatum finem consecutam complemus. Propterea ipsam Deo, qui eandem cœpit, & perfecit, gratias agentes, concludendam esse decernimus, & conclusam denunciamus.

DECRETVM

De Indictione futuræ Synodi.

SYnodum aliam futuram, juxta S. Conc. Tridentini Sanctiones, & antiquum Ecclesiæ nostræ morem, indicimus habendam esse die 24. Augusti sequentis anni 1693. nisi quod emerserit declarandum, seù decernendum in Synodo litaniarum, quæ de more habebitur die 25. Octobris currentis anni 1692.

ROGITUS ACTORUM.

PRædicta omnia, & singula acta, & decreta in præsenti Synodo contenta, celebrata, promulgata, lecta, lata, & recepta fuisse in S. Metropolitana Ecclesia coram Reverendissimo Capitulo ejusdem Metropolitanæ, nec non Admodum Reverendis Capitulis Collegia-

ta-

tarum Urbis, & Clero Urbano, ac foraneo de more sub die 24. Augusti 1692. fidem facio, atque testor.

Ego Blasius Grandi insignis Collegii S. Spiritus Canonicus, Not. Apostolicus, & Procancellarius.

ACCLAMATIONES

Habentur in prima Synodo Diœcesana prope finem.

DECRETVM ULTIMUM.

De Synodi dimissione.

AD laudem Omnipotentis DEI, Beatissimæque semper Virginis MARIAE Matris Dei, S. Michaelis Archangeli, B. Apostoli Bartholomæi, SS. Pontificum Januarii, & Barbati, SS. Confessorum Dominici, & Philippi Nerii, reliquorumque hujus nostræ Civitatis Patronorum, cæterorumque Sanctorum, Synodum dissolutam, ac dimissam decernimus: itaut unicuique licitum sit ad proprias Ecclesias redire. Hortamur tamen, & obsecramus vos, Fratres charissimi, quatenus tales in vestro munere sitis, ut in moribus vestris hujus nostræ Synodi fructus elucescat, & vestro exemplo imitationem sancta plebs acquirat. Lauretanæ verò litaniæ adhuc singulis Sabbatis recitentur, DEO, B. Virgini MARIAE, & D. Philippo Nerio gratias agentes, quod tandem aliquando nostram Synodum in nostra Metropolitana Ecclesia persolverimus.

FINIS.



JUDICES, ET EXAMINATORES SYNODALES

Confirmati sunt omnes in prima, secunda; tertia, & quinta Synodo enumerati: additi verò Examinatoribus sequentes:

Admodum Rev. Patres.

P. F. Chrisantus Feolo à Monte-sarculo S. Th. Lector jubilatus Ordinis Min. S. Francisci de Observantia.
P. Michael-Angelus Ruggieri Soc. Jesu Theologus.





APPEN-

APPENDICE
AL SETTIMO SINODO DIOCESANO
Della Santa Metropolitana Chiesa di Benevento
Dell'Anno MDCXCII.

I.

BOLLA, OVERO STATVTO.

Intorno al dover tutti i Parochi della Città battezzare nel Battisterio della Metropolitana, ed alla convenzione fatta frà essi, ed il Signor Arciprete, e fra essi medesimi.

Cit. nel Cap. IV. de Baptisterio Ecclesiæ Metropolitanæ pag. 5.

Frater Vincentius Maria Ordinis Prædicatorum, miseratione Divina, Tit. S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Ursinus S. Beneventanæ Ecclesiæ Archiepiscopus.

COmmissi nobis per Divinæ gratiæ abundantiã Pastoralis officii debitum jugitèr Nos admonet, ut non solum vigilantiæ nostræ creditum Dominicum Gregem, sed etiàm singulorum Rectorum ejus actiones intensa mentis acie collustremus. Cùm itaq; Terræ-motus clade dè anno 1688., nostris sic flagitantibus culpis, Ecclesię omnes, Parochiales præsertim, funditùs sint eversę, itaut in illis Sacramentornm administratio, quo par erat cultu, haberi non possit, fractis præcipuè Baptisteriis, vel ad terram dejectis, vel necessariis supellectilibus viduatis; Cumq; Baptismus intèr Sacramenta, sicut primũ locum obtinet, ita maxima etiàm decentia ministretur oporteat, magnum Baptisterium in nostra Metropolitana Ecclesia, Deo dante, basilicè instructum, ereximus, omnibusq; Civitatis Parochis jussimus esse commune, Sacris Canonibus maximè consonũ ducentes, ut qui ejusdem Ecclesię filii censentur, in eadem regenerationis gratiam suscipiant. Quia verò ex una parte in præfata Ecclesia nostra Metropolitana jus baptizandi in eadem, quod propriè Archiepiscopale est, quandò Nobis id muneris non exercere contigit, ad Archipresbyterum nostrum ex consuetudine spectat; itaùt spontè advenientes ex quavis Civitatis Parochia ipse baptizet, & oblationes spontè oblatas recipiat, siquidem è converso ad eundem Archipresbyterum pertinet Baptisteriũ manutenere, & necessariis utensilibus habere instructum; ex altera parte unusquisq; Parochorum in sua Parochia Parochianos suos baptizandi, & oblationes spontè factas recipiendi liberum Jus habebat. Idcircò die octa-

va mensis Maii currentis Anni in Congregazione coram nobis, & Illustrissimo, ac Reverendissimo Coepiscopo nostro Pompejo Sarnellio Vigiliensi apud nos degente, habita, dilecti filii Archipresbyter noster, & Parochi Civitatis infrascripti cōvenere, scilicet Peril. & Adm. Rev. D. Julius de Marco V.I.D. S. Metrop. Ecclesię Archipresbyter. Rev. D. Dominicus Sciarra Rector S. Petri de Traseris -- Rev. D. Andreas Vollari Rector S. Angeli Portæ Summæ -- Rev. D. Joannes Baptista Limatola Rector S. Donati -- Rev. D. Januarius Boraglia Rector S. Salvatoris Portæ Summæ -- Rev. D. Bartholemæus Riccio Rector S. Mariæ Constantinopolitanæ -- Rev. D. Franciscus Buscaino Rector S. Jacobi -- Rev. D. Carolus Pellegrinus Rector S. Marci de Sabarianis -- Rev. D. D. Nicolaus Mazzeus Viceabbas, & Curatus S. Modesti Canonicorum Regularium Lateranensium. In eòq; Conventu, cùm deberent omnes, & singuli Baptismi Sacramentum in Ecclesia nostra Metropolitana, ut prætulimus, de mandato nostro administrare, nè de cætero lis aliqua, veluti humana fert conditio, oriatur, intèr prædictum Archipresbyterum nostrum, & Parochos conventio, & transactio facta sunt, ut sequitur. Primò ipsi Parochi onus subibunt manutentionis, & munditiei Baptisterii, ac utensilium, nec nō Cappellę ejusdem, tum quo àd opus plasticum, quo exornatur, tùm quoàd pavimentum, & Cancellos, demptis iis, quæ àb integro reficienda prò tempore erunt, hæc namq; sumptibus mediorum fructuum deincèps fient. Ideòq; Archipresbyter noster omni onere solutus, nullū ex quibuscumq; spontaneis oblationibus recipiet emolumentum, quæ omnia singulis Parochis ad suorū rationem Parochianorum debebuntur; Sèd nè quovis futuro tempore Parochi hac de re molestentur, per viam transactionis perpetuo valituræ singulis annis Archipresbytero nostro Cerèum offerent in die Sanctissimæ Assumptionis B.V.M. valoris carlenorum decem. Secundò, & ut idem Archipresbyter in hoc baptizandi munere sua utatur præeminentia, duobus Sabbatis antè Dominicas Resurrectionis, & Pentecostes, in quibus Baptismata Nobis reservavimus, & omninò reservamus, Nobis absentibus, sivè legitimè impeditis, ipse per se, vèl per alium suo nomine persolvet; nec non singulis annis ex quavis Porochia binos infantes, in universum sexdecim baptizare vèl per se, vèl per alium; ad tenorem Synodalium Constitutionum approbatum, valebit; verùm ipse Archipresbyter quotiès hujusmodi Baptismum ministrare voluerit, Parochum baptizandi antea ad-

mo-

movebit, nè hic ad functionem persolvendam accedens fortassè abstinere cogatur, aliàs Parochus ad præfatam functionem accedens ipsemet persolvere non prohibebitur; necnon spontaneę oblationes quęcumq; ut suprà tam dictis Sabbatis duobus, quàm reliquis diebus, ut prætulimus ad baptizatorum Parochos respectivè spectabunt, nisi fortè oblatio duplex, altera prò Archipresbytero nostro, altera pro Parocho fiat, tunc enim Archipresbyter spontanea illa oblatione fruetur. Ipsi verò Parochi, si per alium non Parochum, sed ad tenorem ut suprà approbatum Baptismi Sacramentum ministrare voluerint, àb eodem nostro Archipresbytero ille Presbyter licentiam obtinebit. His actis, & tàm de consensu Archipresbyteri nostri, quàm Parochorum, & nostra accedente auctoritate, ac beneplacito, firmatis, ipsi Parochi prò re bene gerēda ità intèr se convenerunt. Primò ut habeatur Armariū in Sacristia Cappellę SS. Corporis Christi, in quo asservētur claves fontis baptismalis, duo superpellicea prò Parocho nempè, & pro Acolytho, Stola violacea, & alba, Rituale Romanum, & liber, quem Matriculam vocant, atramentarium, & quidquid præterea necessarium est, ære prò rata collato à singulis Parochis, proùt opus fuerit, comparanda. Unusquisq; verò Parochorum suam clavem pro dicto Armario recludendo habebit. Secundò sumptibus etiàm communibus, ut prætulimus, stipendium ducatorum duodecim annuorum solvetur Acolytho, cujus partes erunt, assistentiam præbere in Ecclesia Metropolitana, ut quoties opus fuerit paratus sit, tùm pro Sanctissimi Viatici, tùm pro Baptismatis administratione. Ipse verò Acolythus deputandus est, vel amovendus, cum opus fuerit, ad nutum eorundem Parochorū. Tertio liber, Matricula nuncupatus, usui erit pro adnotandis omnium Paræciarum baptizatis ad formam. Verùm non idcircò unusquisq; Parochorum suum baptizatorum librum deseret, sed ad formam Synodalem habebit, & ejus scripturam prosequetur. Nemini verò licebit, præfatam Matriculam ex Armario asportare, aut ex eadem documenta transcribere, nisi proprio baptizati Parocho; caveatq; quisquis fuerit falcem in messem alienam immittere. His paritèr actis tàm de Parochorum consensu, quàm de nostra auctoritate, & beneplacito publicum super omnibus qua ad Archipresbyterū nostrum, qua ad Parochos spectantibus, & horum serie enarratis confectum fuit Instrumentum rogato Notario Josepho de Pompejo eadem die octava mensis, & anni currentis. Quapropter ad prædicto-

ctorum Archipresbyteri nostri, & Parochorum instantiam hoc præsenti stabili, firmo, perpetuo statuto, præmissa omnia,& singula secundum eorum seriem,continentiam,& tenorem auctoritate nostra Archiepiscopali perpetuò servari mandamus sub pœnis arbitrio nostro prò contumaciæ qualitate reservatis.Nemo autèm ex iis,qui nobis subditi sunt,hanc nostram paginam jussionis , conventionis, transactionis,firmi,stabilis,perpetuiq;statuti,& mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire præsumat,sed potiùs omnes, & singuli,ut dilectos filios decet,executioni demandare hilaritèr satagāt. Contradictores quoscunq; etiàm per Censuras Ecclesiasticas compescendo. Datum Beneventi ex nostro Archiepiscopio die nona Mensis Maii anno Domini 1692. Pontificatus nostri Beneventani anno VII. Ordinationis verò nostræ XVIII.

FR. VIINC. MARIA CARD. ARCHIEP.

Cl.Dom.Fontanella Not.Apostolicus
prò Dom. Cancell.

II.

LETTERA CIRCOLARE

Della Sag. Congreg. del S.Officio, che non si lasci celebrare niun'estero,che si asserisce Prete Secolare,ò Regolare,senza la licenza della Corte Arcivescovale , riconosciute prima le lettere testimoniali degli Ordinarii,ò de'Superiori.

Citata nel Cap.V.de Celebr.Miss.& Divin.Offic.n.1.p.6.

Foris. All'Eminentiss.e Reverendiss.Signor mio Osservandiss.
Il Sig.Cardinal Orsini Arcivescovo di Benevento.

Intus. Eminentiss., e Reverendiss.Sig.mio Osservandiss.

SE bene altre volte sotto li 20. Febbrajo 1649. da questa Sagra Congregatione del S.Officio,volendosi al possibile ovviare al delitto di coloro,che vanno per Italia celebrando Messe , e tal ora cōfessando,ancorche nō siano promossi al Sacerdozio,fù con lettera simile d' ordine del Papa ingionto à tutti gli Ordinarii l' invigilarvi con opportuni Ordini à i loro Vicarii Generali,e foranei;nondimeno,perche ciò non ostante,ora spesso per la trascuraggine,come si è riconosciuto da'medesimi Vicarii, e particolarmente de foranei delle Terre,e Castelli fuor di mano , e penuriosi di Sacerdoti agevolmente si và commettendo sì enorme sagrilegio , non usando essi le dovute diligenze di farsi mostrare, & esaminare le Dimissorie di coloro

loro, che pretendono di celebrare, che talora non le hanno, ò se pure le hanno son false; Quindi è, che di nuovo ad oggetto di ovviare à questo delitto la medesima Sagra Congregatione hà stimato espediente di significarlo, come fà, con questa mia lettera a V. Em. affinche si degni dar ordini precisi al suo Vicario Generale, & a' foranei, che à Preti, & à Regolari farastieri non concedano licenza di celebrare, se prima non presentano le lettere testimoniali del Sacerdozio de' proprii Ordinarii, e Superiori, e quelle siano tali, che nō habbiano minima ombra di sospetto di esser false con imporre a' medesimi Vicarii in caso di negligenza, ò trasgressione pene particolari, anco corporali, sopra di che la S. Congreg. attende da V. Em. l'avviso dell'esequzione, e ricevuta della presente; e bacio à V. Em. umilissimamente le mani. Roma 26. Gennaro 1692.

Di V. Em. Humiliss. e devotiss. Servo. *A. Card. Cybo.*

Benevento. Signor Cardinal Arcivescovo.

III.

DECRETO

Della Sagra Congregatione de' Riti intorno alla traslazione della festa di S. Rosa Vergine Limana per la Città, e Diocesi.

Citato nel Cap. V sudetto de Celebr. Miss. & Divin. Offic. n. 2. pag. 6.

DECRETUM.

Ad preces Cleri Civitatis Beneventanæ per Eminentissimum, & Reverendissimum D. Cardinalem Ursinum ejusdem Civitatis Archiepiscopum in Sacrorum Rituum Congregatione porrectas, eadem Sacra Congregatio concessit, ut festum S. Rosæ Limanæ Ordinis Prædicatorum occurrens infra octavam S. Bartholomæi Apostoli principalis Patroni dictæ Civitatis in posterum celebrari, & transferri possit ad aliam diem non impeditam, arbitrio ipsius Eminentissimi Archiepiscopi præfigendam, & amplius nunquam immutandam, servatis tamē Rubricis Missalis, & Breviarii Romani. Die 15. Septembris 1691. *A. Card. Cybo.* Locus ✱ Sigilli. *I. Vallemanus S. R. Cong. Secretarius.*

IV.

IV.

ISTRUMENTO

Della ſolenne conſagrazione della Chieſa Metropolitana.

Citat. nel Cap. VII. de Eccleſia Metropolitana Dedicatione.

IN DEI NOMINE. Amen. Præſenti hoc publico inſtrumento cunctis ubique pateat evidenter, & notum ſit, qualiter Eminentiſs. & Reverendiſs. in Chriſto Pater, & Dominus, Dominus Fr. Vincentius Maria Ord. Præd. miſerat. Divina, Tit. S. Sixti, S.R.E. Presb. Cardinalis Urſinus, S. Beneventanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus in ipſis liminibus electionis ſuæ, quæ incidit in diem 18. Martii 1686. inter cætera, quæ reparanda ſuſcepit, nempè Archiepiſcopium rues, Baſilicam S. Bartholomæi, & Seminarium magna reparatione indigentia, principem locum ſibi vendicavit innovatio potiùs, quam inſtauratio Eccleſiæ Metropolitanæ, quæ temporis injuria antiquæ magnificentiæ nil, niſi amplitudinem retinebat, & hanc additamentis deformem: quinque ſiquidem naves, columnis ſuffultas, paries ad Eccleſiæ ſiniſtram non rectus concludebat, ad Eccleſię dexteram tres Cappellæ extremum parietem turrimCampanariamversùs debilitarant; & quia vitium fecerant debilem in ruinam trahebant, cui manum dabat aqua pluvia, quæ in ciſternam, ibidem jacentem per ipſam Eccleſiam defluebat. Cœteræ verò Cappellæ, ad parietes extantes, abſque ordine erant diſtributæ.

Eccleſiæ hujus fundatio, Chriſtianitati in hāc Civitatem invectæ contemporanea, *S. Photino* per SS. Apoſtolum Petrum *Epiſcopo I.* Conſecrato anno Domini quadrageſimo tribuenda videtur. Ipſam verò Baſilicam, tunc temporis exiguam, Magnæ DEI Matri in Cœlum aſſumptæ *David inter Epiſcopos* XXXI. die XV. Decembris anno Domini DC. Gregorio Magno Summo Pontifice dicavit. *Sico* deindè Sereniſſimæ Longobardorum ſtirpis *Princeps* IV. circa annum Domini DCCCXXIX. additis columnis ex Trajani Arcu, quem Portam Auream nunc vocant, tranſlatis ampliorem, & venuſtiorem reddidit. Ditiorem fecit *Sicardus Princeps*. V. qui anno Domini DCCCXXXVIII. ex Lipara Inſula theſaurum Corporis D. Bartholomæi Apoſtoli in eam tranſtulit, inchoata pro decētiori cultu Cappella, quam *Urſus* XLII. *Epiſcopus* complevit: & die XXV. Octobris anni DCCCXXXIX. Apoſtolica Lipſana in ea locavit. Cùm verò hæc Sedes Archiepiſcopatus honore, primo in iis Provinciis,

ciis,

ciis, quas nunc Regnum Neapolitanum appellamus, à Joanne PP. XIII. anno CMLXIX. insignita fuisset, *Roffridus II. Archiep. XI.* longè ampliorem suam voluit Metropolitanã anno Dom. MCXXIV. cui marmoreum prospectum, & valvas æreas historiis, & Suffraganeorum XXIV. imaginibus decoratas adjunxit Cardinalis *Rogerius Archiep. XVI.* circà annum Domini MCXCIX. Turrim autem Cãpanariam, quæ desiderabatur, Confluentibus Cleri, & populi oblationibus à fundamentis erexit *Romanus de Capo-ferris* Concivis, & *Archiep. XVIII.* anno Domini MCCLXXIX.

Quia verò in ipsa Terra, quæ licèt in æternum stet, nihil tamèn stabile reperitur, ejus motu de anno MCDLVI. die XXX. Decembris hora XVI. *Jacobo* II. della Ratta *Archiep.* XXXVIII. præfata Ecclesia quassata remansit, Pii PP. II. pietate, quæ adhuc perseverat, instaurata fuit. Aram deindè Maximam ingenti, & integro marmore tectam *Conradus Capycius Archiep. XLI.* erexit, & à Jacobo de Appiano ex Dominis Plumbini Episcopo Gravinen. sacratam voluit anno MCDLXXIII. die XIV. Novembris: Nostris quoque temporibus *Joannes Baptista Foppa* fel. rec. Archiep. LVIII. qui vixit usque ad annum MDCLXXIII. prædecessorum suorum magnanimam pietatem æmulatus aureo loqueari rectam mediam, & tranversam navim honestavit.

Quia verò tempus edax rerum, & invidiosa vetustas omnia cõsumunt Eminentissimus Archiepiscopus noster Ecclesiam suam in statu, quem prætuli, reperit. Quamobrem solicitas operi manus adhibens nõ mediocri sumptu quinq; naves, duobus novis parietibus lateralibus direxit, fulsitq; rejectisq; superfluis aptam membrorum omnium, partiumq; dispositionem effecit, & universa plastico opere graphicè inducto exornavit. Secretarium, Scevophilacium, sivè Cimeliarchium funditùs erexit: principem Aram sectilibus pretiosisque marmoribus compositam statuit, & sub ea viginti plumbeas capsulas Sanctorum reliquiis refertas collocavit die X. Novembris MDCLXXXVII. Nomina præfatorum Sanctorum habentur in instrumento collocationis earundem, quod confecit Dominus Abbas Andreas Vollari tunc temporis Notarius Apostolicus, nunc verò Notarius, Prothonotarius nuncupatus rogatus sub eodem die, & anno.

Verum quàm inopes Consilii simus nescientes quid superventura ferat dies, annus subsequẽs MDCLXXXVIII. ostẽdit an die nẽpè 5.

 Junii

Junii ingenti Terræmotu dejecta Civitate universa, caput, & brachia Ecclesiæ corruere,& naves ipsæ quassatæ sunt, Secretarium cecidit, & omnia vel ruinam passa, vel ruinæ proxima, Archiepiscopium quoque nuper instauratum, & auctum in præceps ruit, atque Eminētissimum Archiepiscopum secum traxit,ac ruderibus sepelivit, ex quibus D. Philippi Nerii præsenti ope, magno quidem prodigio extractus, & propè redivivus ad reparandas ruinas servatus fuit.

Rem probavit eventus: Eminentissimus D. Archiepiscopus opibus, non animi viribus fractus die XIV. Novembris ejusdem anni MDCLXXXVIII.urbanam visitationē habuit,ac diruta Metropolitanæ, & Archiepiscopii à fundamentis reficienda mandavit, quæ tandem omnia Deo dante, & D. Philippo Nerio intercedente ad consumationem devenire: eandem namque Metropolitanam Ecclesiam nobiliùs refectam cùm ara maxima, & sexdecim Cappellis, Choro, Fonte baptismali, pastophoriis, Bibliotheca,omnique ornatu hac die XXVI. Maii in Natali S. Philippi Nerii solemni ritu sacravit,obtenta à SS. Patre nostro Innocentio PP. XII.Indulgentia plenaria,prout latè patet in Brevi tenoris,qui sequitur, vz.

INNOCENTIVS PP.XII.Universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis salutem,& Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & Animarum salutem, cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus verè pœnitentibus,& confessis,ac Sacra Communione refectis,qui Ecclesiam Metropolitanam Beneventanam die,qua dicta Ecclesia solemniter consecrabitur, devotè visitaverint, & ibi pro Christianorū Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam,& remissionem misericorditèr in Domino concedimus,præsentibus pro unica vice valituris. Volumus autem,ut si pro impetratione, præsentatione, admissione,seù publicatione præsentium aliquid,vel minimum detur,aut sponte oblatum recipiatur,præsentes nullæ sint.Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die vigesima prima Augusti MDCXCI. Pontificatus nostri Anno primo.

I.F.Card. Albanus *Gratis prò Deo.*

Pro cujus publicatione Notificationem typis datam in Civitate, & Archidiœcesi affigendam edidit in hæc verba:

NO-

NOTIFICAZIONE. *Essendosi coll'ajuto di Dio, e spezial protezione della B.V., S.Bartolomeo, S.Domenico, e S.Filippo Neri, & altri Santi Protettori compiuta la fabrica della Chiesa Metropolitana, l'Eminentissimo Arcivescovo hà destinato Lunedì 26. del corrente mese di Maggio secondo giorno della Santissima Pentecoste, e festività del glorioso S.Filippo Neri per la solenne Consecrazione della medesima. Però s'intima un'Ecclesiastico digiuno di precetto à tutto il popolo della Città per lo Sabato antecedente, che sarà a' 24. del detto mese.*

Ed acciocchè l'allegrezze dell'Encenie siano più profittevoli allo spirito si fa noto a tutti, che chiunque confessato, e communicato visiterà in detto giorno 26. di Maggio la sudetta Metropolitana, ed ivi pregherà divotamente nostro Signore Iddio per l'esaltazione della S. Madre Chiesa, per l'estirpazione dell'eresie, e per la concordia fra' Prencipi Cristiani conseguirà indulgenza plenaria, e remissione di tutti i suoi peccati, conceduta dal nostro SS. Padre Innocenzo Papa XII. conforme appare per Breve spedito sotto la data de' 21. Agosto 1691. Quindi si esortano tutti à venir à conseguire un tanto tesoro.

Idcircò ad perpetuam rei memoriam ego infrascriptus Notarius Apostolicus Prothonotarius nuncupatus, & ejusdem S. Metropolitanæ Ecclesię Canonicus Bibliothecarius cùm infrascriptis sex Reverendissimis DD. Apostolicis Connotariis Prothonotariis item nuncupatis, de mandato ejusdem Eminentissimi accessimus ad dictam Metropolitanam Ecclesiam, & vidimus eundem Eminentissimum Archiepiscopum pontificalibus indutum assistente Illustrissimo, & Reverendissimo D. Nicolao Antonio Tura Episcopo Sarnen. præfatam Ecclesiam solemni ritu dicantem, & in medio principis Aræ collocantem capsulam plumbeam altitudinis digitorum duorum, & latitudinis sex hesterno die à se benedictam, in qua recondebantur Sacra lipsana SS.Martyr. Festi Diaconi, & Desiderii Lectoris ejusdem Metropolitanæ Ecclesiæ; nec non S.Barbati Pontificis prædecessoris ejus, & reliquiarium ossis nigri coloris, Cryfstallo obseratum, in quo inclusa erant ex una parte de præcordiis, de capillis, de camicia, & de veste S.Philippi Nerii; ex altera imago argentea ejusdem Sancti, cùm tribus granis incensi, & duabus schedulis de pergameno, quarum altera, hujus consecrationis documentum continens erat tenoris, qui sequitur.

Anno Domini MDCXCII. die xxvi. mensis Maii feria II. post Dominicam Pentecost. & natalitia S.Philippi Nerii, Patroni hujus nostræ

Civitatis, totiusque Cleri, tum ejusdem Urbis, tum nostræ Archidiœcesis Protectoris, Ego Frater Vincentius Maria Ord. Prædic. miseratione Divina. Tit. S. Sixti S. R. E. Presbyt. Card. Ursinus S. Beneventanæ Ecclesiæ Archiepiscopus consecravi Ecclesiam hanc, & Altare hoc in honorem B. V. M. ad Cælos Assumptæ, & Reliquias SS. Martyrum Festi prælibatæ nostræ Ecclesiæ Diaconi, Desiderii itidem ipsius Ecclesiæ Lectoris, Barbati Pontificis Prædecessoris nostri in hac eadem Sacratissima Sede Confessoris, ac præfatæ nostræ Civitatis Patroni, & Philippi Nerii Confessoris, in eo inclusi: & singulis Christifidelibus hodie indulgentiam plenariam SS. Innocentius XII. Pont. Max. ad meas preces benignè largiri dignatus est; & in die Anniversario Consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus centum dies de vera indulgentia in forma Ecclesiæ consuetæ Ego pariter concessi

Hæc est LIV. Ecclesia a me, licèt indigno, consecrata, & Altare hoc. LIV. in eisdē Sacratū præter alia fixa LXXII. & portatilia CCCXII. quæ Sacris eisdem ritibus initiavi.

FR. VINCENTIUS MARIA CARD. ARCHIEP.

Nicolaus Anton. Episc. Sarnen. assistens.

Altera verò erat tenoris sequentis.

Vehemēs ille Terræ-motus, qui contigit Anno MDCLXXXVIII. die v Junii cúm totam penè Metropolitanam hanc nostram Ecclesiam, & Urbem devestasset, Ego à ruinis Archiepiscopii obrutus mortem non obii, sed miraculosa ope S. Philippi Nerii mei tutelaris Patroni illæsus, nedum vivus extractus; merito ejusdem Sancti supernas impetravi suppetias, ut in paupertate mea præpararem impensas Domus Domini. Eandem igitur Ecclesiam, quam antea prò mea imbecillitate restauraveram, & ornaveram, vi terræ-motus collapsam denuò partim à fundamentis reædificandam, partim restaurandam, ornandamque curavi. Cumque ego miser peccator Frater Vincentius Maria Ord. Præd. miseratione Divina, Tit. S. Sixti S. R. E. Presbyter Cardinalis Ursinus Archiepiscopus tantum hoc beneficium ab auxiliarii intercessione apud Deum ejusdem erga me Sancti agnoscam, illud non reticendum; sed humillimè cum gratiarum actione fatendum censui: & hoc de voti cultus, devinctique animi anatema in actu consecrationis huius meæ Ecclesiæ, & Altaris ipsimet Divo Philippo Nerio iure debitum existimavi; & hic inclusum apposui hac die Encoeniorum meæ Sponsæ, ac natalis mei Sancti Protectoris xxvi mensis Maii Anno Domini MDCXCII. Pontificatus mei Beneventani Anno vii. Ordinationis verò meæ xviii.

FR.

Fr. Vincentius Maria Card. Archiep.

Ab hac schedula pendebat solita plumbea bulla, serica cordula alligata ex una parte habens signum Crucis in medio, & imagines B.M. & B. Bartholomæi Apostoli cùm hac inscriptione-S.M.-S.B.- Ex altera, cùm literis inscriptis--*FR. VINC.M.ORD.PRÆD.CARD. URSINUS ARCHIEP. BENEV.*

Quæ capsula alligata fuit vitta coccinea, in cujus nodis apposita cera hispanica in hanc appositum fuit unum sigillum Eminētiss. Archiepiscopi.

Quibus omnibus sic persolutis Adm.Rev.Dominus Thomas Zarro Decanus, & Canonicus insignis Collegii S. Spiritus hujus Civitatis Subcollector Archiepiscopalis mediorum fructuum ad tenorem Bullæ s. m. Pii Papæ II. sub datum Mantuæ anno Incarn. Domin.MCDLIX. non.Septembris Pontificatus sui anno II.obligavit sese nomine prædicto Ecclesiam ipsam Metropolitanam, sic consecratam manutenere, & omnibus necessariis, & opportunis instructam reddere.

Deindè Ven.Presbyt.Antonius Alderisius Archiepiscopalis mensæ Oeconomus pariter nomine prædicto se obligavit marmoreum lapidem infra quatuor menses apponere cùm hac Inscriptione.

D. O. M.

Basilicam hanc Sacrosanctam Christianæ fidei in Civitatem invectæ coæuam Magnæ Dei Matri in Cœlum Assumptæ erectam, adhúc exiguam David Episcopus XXXI.dedicavit die XV.Decembris anno salutis DC.In ampliorem, & decitiorem formam funditùs evexit Sico Longobardorum gentis Princeps IV. anno DCCCXXIX. Augustiorem reddidit Roffridus Archiep.XI.anno MCXXIV. Marmoreo prospectu, & ęreis valuis exornavit Cardinalis Rogerius Archiep.XVI. Seculo circiter XII. Aram maximam Conradus Capycius Archiep. XLI. erexit; & à Jacobo de Appiano Episcopo Gravinen. Sacratam voluit die XIV. Novembris MCDLXXIII. Eleganti, deauratoq; laqueri mediam, rectamq; navim, atq; transversam honestavit Joannes Baptista Foppa Archiep.LVIII.defunctus anno MDC.LXXIII. Tandem Fr. Vincentius Maria Ord.Præd.Tit.S.Sixti S.R.E.Presb.Card. Ursinus Archiep.LXI.electus die XVIII. Martii MDCLXXXVI.eādem Ecclesiam vetustate squalidam, adiunctis cappellis deformem, instaurans, duos integros laterales parites præfatis cappellis ruentibus dejectis, à fundamentis erexit, direxitq; XVI. Sacella ipsis parietibus

tibus

tibus hærentia plastico opere construxit, duo in eis marmorea Altaria refecit. Principem Aram graphica variorum marmorum structura ab integro statuit, sub qua XX. plumbeas capsulas Sanctorũ, reliquiis refertas solemni ritu locavit die X. Novembris MDCLXXXVII. & pensilem ipsi Aræ addidit umbellam. Crucibus; & candelabris ex aurichalcho altaria omnia instruxit, cancellis munivit, argenteãq; auxit supellectilem. Tectum recentavit; vitreas valuas fenestris apposuit navium collateralium cõtingnationes nudis addidit lacunaribus; parietes omnes plastica decoravit manu. Pavimentum integrum lateribus stravit: muros exteriores lorica obduxit: Chorum nuceis ex tabulis decentissimè efformavit, Chori fornicem, eique respondentem majoris januæ parietem picturis insignivit. Chori, & transversæ Navis pavimentum lapidibus stravit; & hinc inde ab Ara maxima sepulchra duo, prò Archiepiscopis a dextris, prò Canonicis è regione constituit. Pastophoria, Choro collateralia, adjunxit, nempè à templi dextris Secretarium à fundamentis evectum, & Divo Thomæ Aquinati dicatum medium intèr Canonicorum, & Mansionariorum Sacristias, & post hanc additum Scevophilacium: à sinistris templi Beneventanam Bibliothecam nobiliorem in modum construxit. Baptisterio propriam Cappellam, Turrim Campanarum respicientem, dedit. Omnia verò prædicta Terræ-motu diei V. Junii MDCLXXXVIII. propè deperiere. Sed Archiepiscopi Animus Domini suffultus præsidio; effectus jactura major, Ecclesiæ caput, & brachia collapsa restituit: Chorum altiorem effecit, picturisque rursus decoravit, sedes nuceas ab integro extruxit; duo majora sacella denuò erexit, tectum semel, atque iterum suffulsit, & tegulis texit; laqueare deauratum in Navi media instauravit; transversæ Navi, & quatuor aliis minoribus contignationes affinxit, & mediæ similes penicillo effecit: Arcum Aræ maximæ imminentem, sublimiorem reddidit, ipsam Aram refectam cancellis marmòreis, pensilique nobiliori umbella protexit. Chori, totiusq; transversæ Navis pavimentum casu fractum marmoribus complanavit: novos laterales parietes, qui columnarum casum prohibuerunt, aliosque Ecclesiæ muros recentiori opere plastico reaptatos nitidiora hærentia sacella exornarunt, in quibus XVI. nova erecta Altaria integris mensis, gradibusque Candelabrorum marmoreis, additisque unicuique cancellis, tabulas Sanctorum imagines præferentes ipsis Altaribus apposuit. & Tabernaculum marmoreum prò Sacra Synaxi custodienda graphicè elaboratum constituit. Vitreas valvas fenestris

ſtris omnibus refecit. Columnas, Pulpita marmorea, Candelabrum itèm marmoreum teſſellato opere antiquitùs conſtructa, multiſque in partibus deficientia inſtauravit; pavimentum lateritium reſtituit, & omnia in eo ſepulcra aptavit, dupliciq; lapide munivit. Odea duo cùm Organis cònfecit; Sedes confeſſionales, & armaria nucea per Eccleſiam novitèr ſtruxit. Portas renovavit, collateralem columnis fultam erexit: atrium reſtituit: integram Eccleſiam exteriùs incruſtavit, & faciei, apicem adjunxit. Cappellam Sanctiſſimi Corporis Chriſti conſtruxit, prò marmoreo tabernaculo emicycium ſtatuit; Sacriſtiam propriã cùm ſuis armariis adjunxit; Cameram pro Confratrum Oratorio diſtinxit; Baptiſterii Sacellum refecit, Fontem mirandæ magnitudinis ex lapide lydio reintegravit. Ciborium nobile impoſuit, piſcinam ſuppoſuit, armariolum pro utenſilibus conſtruxit, cancellis locum munivit. Secretarium denuò erexit; ipſumque marmoreo Altari decoravit. Poſticum Armarium prò reliquiis, argenteis thecis, & ſtatuis; arculiſque marmoreis ſervandis compoſuit; ſe junctum ab altari marmoreum ciborium tabulam cum Sancti Thomæ Aquinatis effigie continens ſubuexit. Circumquaque ex nuceo ligno ſedes, in infima parte armaria cùm veſtium menſis extruxit. Sacriſtiam communem cùm labro, armariis, & menſa refecit. Cameram veſtiariam cum magnis armariis inſtituit, in qua omnis generis ſuppellectilia prò Archiepiſcopo, Canonicis, & Altaribus, vaſaq; argentea quæcunq; aſſervantur. Canonicalem Sacriſtiam, S. Barbati nuncupatam, armariis circumquaq; & magna menſa inſtruxit, magnamq; feneſtram, vitreis valuis decoratam, aperuit. Sacram deniq; Campanarum Turrim ad faſtigium provexit. Quibus omnibus ſummam appoſuit manum Anno reparatæ ſalutis MDCXCII. die XXVI. Menſis Maii natalitio S. Philippi Nerii, qui è Terræ-motus ruinis eundem Archiepiſcopum mirum in modum extraxit; & vires pro tanto onere ſemèl, atq; iterum ſubeundo impetravit: Eo namq; die Eccleſiam ipſam de integro propè erectam cùm principe Ara ſolemni ritu ſacravit; & omnibus Chriſtifidelibus anniverſarias hic fundentibus preces Dominica 1. poſt octavam omnium Sanctorum, in quam Dedicationis feſtum traſtulit, centum indulgentiæ dies conceſſit.

Tùm quod divina officia in ea perſolvenda, cùm Reverendiſſimi Capituli id muneris ſit, eis obligatio de jure incumbit, cui ſemper tãta pietate ſatisfecit, ut Summi Pontifices, præcipuè Joannes XIII. in Bulla erectionis Archiepiſcopatus ſub datum VII. kal. Junii anno

CMLXIX.

CMLXIX. eam condignis laudibus extulerint. Reverendissimi tamen Dignitates, & Canonici, scilicet:

PD. Julius de Marco V.J. D. Archipresbyter:
Joannes de Nicastro V.J. D. primicerius primus.
Aloysius Antonius Ajellus S. T. D. Primicerius secundus.
Andreas Moscarellus Thesaurarius.
Ego Agnellus Rendina V.J. D. Bibliotecarius.

Joseph de Dominicis)
Cæsar Ciarletta)
Joseph Cocozzella)
Joseph Fuccius)
Dominicus Croce)Canonici Presbyteri.
Joseph Mustus)
Matthæus de Matthia)
Scipio Perotta)
Ioseph de Martino)

Benedictus Mariella S. T. Prof.)
Vincentius de Vita in V. J. licent.)
Scipio Charissimus)
Joannes Baptista de Martino V. J. D.) Canonici Diaconi.
Bartholomæus Feulus)
Dominicus Mastrojanni)
Franciscus Spataccinus)
Nicolaus Saracenus)
Dominicus Rossi)Canonici Subdiaconi
Vincentius Cassela)

Omnes sese peculiariter obligaverunt quotannis recitare Officiũ cùm Octava Dedicationis hujusmodi, cujus anniversarium perpetuum diem dictus Eminentiss. Archiepiscopus Consecrator in actu prædictę Consecrationis assignavit Dominicam primam post Octavam festivitatis Omnium Sanctorum, ad quam transferre, & transtulisse decrevit

Ac postremò ob grati animi testimonium teneri voluerunt audita morte ejusdem Eminentiss. Domini Consecratoris (quem Deus diutissimè servet incolumem) semel solemne Defunctorum officium cum tribus nocturnis recitare, & Missam de Requie cùm cantu pro ejus anima celebrare; publicumque documentum hac de re tradere Vicario Capitulari.

Qui

Qui omnes, nempè tàm dictum Reverendissimum Capitulum; quàm præfatis Subcollector, & OEconomus Archiepiscopales sese nominibus, quibus suprà, & sucessores in futurum obligaverunt in forma Cameræ Apostolicæ cùm solitis clausulis, &c. & tacto pectore juraverunt, &c.

Super quibus omnibus, & eorum singulis tàm mihi Notario Apostolico Prothonotario nuncupato, quàm subscriptis Reverendissimis Dominis Connotariis Prothonotariis item nuncupatis demandatum fuit à dicto Eminentiss. Domino Archiepiscopo Consecratore, ut unum, vel plura publicum, seù publica conficere, atque tradere deberemus Instrumentum, & Instrumenta prout opus fuerit, & requisiti erimus.

Actum Beneventi in dicta S. Metropolitana Ecclesia ipso solemnis ejusdem Consecrationis tempore, assistentibus dictis Reverendissimis Dignitatibus, & Canonicis unoquoq; Sacris paramentis pro suo ordine induto, scilicet Dignitatibus Pivialibus, Canonicis Presbyteris Casulis, Canonicis Diaconibus Dalmaticis, & Canonicis Subdiaconibus Tunicellis; hac die XXVI. mensis Maii Anno reparatæ salutis MDCXCII. Pontificatus Beneventani ejusdē Eminentissimi Consecratoris anno VII. Ordinationis verò suæ XVIII. Præsentibus pro testibus Adm. Rev. P. Pompejo de Palma Congreg. Oratorii Neap. Illustrissimis Dominis Michaele de Morra Duce Mancusierum, & Domino Josepho Capasso Comite Pastenarum ad prædicta omnia; & singula vocatis habitis specialiter, atque rogatis; & populo penè innumero, qui ad Encoeniorum solemnia pia religione confluxerat. Et in fidem, &c.

Ita est Agnellus Rendina Canonicus, & Bibliothecarius S. Metropolitanæ Ecclesiæ Apostolica auctoritate Notarius, Prothonotarius nuncupatus in solidum cum infrascriptis Reverendissimis Dominis Connotariis, Prothonotariis nuncupatis rogatus subscripsi, & signavi requisitus.

Locus ✻ Signi.

Ità est Joannes de Nicastro Primicerius primus dictæ S. Metropolitanæ Ecclesiæ Apostolica auctoritate Notarius, Prothonotarius nuncupatus, unà cùm prædicto Reverendiss. Domino Agnello Rendina Canonico Bibliothecario, & Connotario Apostolico, & infrascriptis aliis Reverendissimis Dominis Connotariis pariter Prothonotariis nuncupatis de præmissis rogatus subscripsi, & signavi requisitus, &c.

Locus ✻ Signi.

Ita est Aloysius Antonius Ajellus Primicerius secundus dictæ S. Metropolitanæ Ecclesiæ prædicta Apostolica auctoritata Notarius, Prothonotarius nuncupatus, unà cùm prædicto Reverendis. D. Agnello Rendina Canonico Bibliothecario, & connotario Apostolico, & suprascripto, & infrascriptis aliis Reverendissimis Dominis Connotariis, pariter Prothonotariis nuncupatis de præmissis rogat. subscripsi, & signavi requisitus, &c.

Locus ✠ Signi.

Ita est Joannes Andrèas Moscarelli Thesaurarius dictæ S. Metropolitanæ Ecclesiæ Apostolica auctoritate Notarius, Prothonotarius nuncupatus, una cùm prædicto Reverẽdiss. D. Agnello Rendina Canonico Bibliothecario, Connotario Apostolico, & suprascriptis, & infrascriptis aliis Reverendissimis Dominis Connotariis, pariter Prothonotariis nuncupatis de premissis rogatus subscripsi, & signavi requisitus.

Locus ✠ Signi.

Ita est Joannes Baptista de Martino dictæ S. Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicus prædicta Apostolica auctoritate Notarius, Prothonotarius nuncupatus unà cùm prædicto Reverendiss. D. Agnello Rendina Canonico Bibliothecario, & Connotario Apostolico, & suprascriptis, infrascriptisq; aliis Reverendissimis Dominis Connotariis, pariter Prothonotariis nuncupatis de præmissis rogatus subscripsi, & signavi requisitus, &c.

Locus ✠ Signi.

Ita est Bartholomeus Feolus dictæ S. Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicus prędicta Apostolica auctoritate Notarius, Prothonotarius nuncupatus, unà cùm prædicto Reverendiss. D. Agnello Rendina Canonico Bibliothecario, & Connotario Apostolico, & suprascriptis, infrascriptoque aliis Reverendissimis Dominis Connotariis, pariter Prothonotariis nuncupatis de præmissis rogatus subscripsi, & signavi requisitus.

Locus ✠ Signi.

Ita est Andreas Abbas Vollari Rector S. Angeli Portę Summę hujus Civitatis prædicta Apostolica auctoritate Notarius, Prothonotarius nuncupatus, unà cùm prędicto Reverendissimo D. Agnello Rendina Canonico Bibliothecario, & Connotario Apostolico, & suprascriptis aliis Reverendissimis Dominis Connotariis, pariter Prothonotariis nuncupatis de pręmissis rogatus subscripsi, & signavi requisitus, &c.

Locus ✠ Signi.

V.

V.

NOTIFICAZIONE

Dell'Altare Privilegiato cotidiano, e perpetuo di S. Filippo Neri nella Metropolitana:

Citata nel Cap. VIII. De Altari Privilegiato, num. 1. pag. 8.

LA ſanta mem. di Papa Gregorio XIII. a 14. di Agoſto del 1578. havea arricchito la S. Chieſa Metropolitana con privilegiare perpetuamente in eſſa per ſuffragio delle Anime de'fedeli defunti l'Altare di S. Antonio da Padova; ma eſſendoſi rifatta, e rinnovata la Chieſa, e demolito per neceſſità quell'Altare, il Santiſſimo Padre Noſtro Papa Innocenzo XII. ad iſtanza del noſtro Eminentiſſimo Arciveſcovo vi hà rinnovato sì gran teſoro per ogni dì in perpetuo nell'lAtare eretto, e dedicato à S. Filippo Neri, concedendo, che quante volte ivi ſi celebra la Santa Meſſa per l'anima di qualſivoglia fedele, che ſia trapaſſato nella Carità di Dio, eſſa anima, ottenga dal teſoro della Chieſa tale Indulgenza, che per gli meriti di Gieſù Chriſto, della Santiſs. Vergine, de'Beati Apoſtoli Pietro, e Paolo, e degli altri Santi, ſia liberata dalle pene del Purgatorio. Il tenor del Breve è il ſeguente:

INNOCENTIUS PAPA XII. *Ad perpetuam rei memoriam. Dudum fel. rec. Gregorius Papa XIII. Prædeceſſor noſter Metropolitanam Eccleſiam Beneventanam, ſimili, eouſque privilegio minimè decoratam, ac in ea Altare S. Antonii de Padua in Cappella Societatis Sanctiſſimi Sacramenti ſitum ſpeciali dono illuſtrare volens, auctoritate ſibi à Domino tradita conceſſit, ut quoties Miſſa ad prædictum Altare celebraretur pro anima cujuſcumq; fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraviſſet ipſa de Theſauro Eccleſiæ Indulgentiam conſequetur, quatenùs Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, BB. Apoſtolorum Petri, & Pauli, aliorumq; Sanctorum omnium meritis ſuffragantibus à Purgatorii pœnis liberaretur, & alias, prout in ipſius Gregorii prædeceſſoris literis ſub plumbo deſuper anno Incarnationis Dominicæ 1578. Pridie Idus Auguſti Pontificatus ſui Anno VII. expeditis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberiùs continetur. Cum autem, ſicùt dilectus filius noſter Vincentius Maria S. R. E. Presb. Card. Urſinus nuncupatus ejuſdem Metrop. Eccleſiæ Beneventanæ ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſul Nobis nuper expoſuit, aliàs occaſione totalis reſtaurationis, vel potiùs renovationis dictæ Metropolitanæ Eccleſiæ prædictum Altare S. Antonii de Padua demoliri neceſſe fuerit, ipſeq; Vincentius Maria Cardinalis, & Præſul*

aliud

aliud subindè Altare in honorem S. Philippi Nerii construi curaverit, deindè verò postremi Terræmotus causa, quo Civitas Beneventana afflicta fuit ferè tota Metropolitana Ecclesia supradicta diruta fuerit, dictusq; Vincentius Maria Card. & Præsul illam iterum reædificari curet, in eaq; novum Altare sub invocatione ejusdem S. Philippi Nerii extrui, & instaurari facere intendat; Et propterea privilegium supradictum per Nos, ut infrà, transferri summopere desideret. Nos ipsius Vincentii Mariæ Cardinalis, & Præsulis, decorem, Domus Dei laudabiliter diligentis pietatem plurimum in Domino commendantes, supplicationibus ejus nobis super hoc humiliter porrectis benignè inclinati, Privilegium, & Indulgentiam supradicto Altari S. Antonii de Padua per memoratum Gregorium prædecessorem concessam, ut præfertur, ad novum Altare S. Philippi Nerii, sicut præmittitur extruendum, & instaurandum ex nunc, prout ex tunc postquam sic extructum, & instauratum fuerit, Apostolica auctoritate tenore præsentium, servata tamen in reliquis supradictarum Gregorii Prædecess. literarum forma, & dispositione, perpetuò transferimus, & trasportamus. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Septembris 1691. Pontificatus nostri Anno Primo.

I. F. Card. Albanus

Si essortano tutti i fedeli della Città, e Diocesi, che si vagliano di tanto tesoro sì per gli loro defunti, sì per le anime loro, quando saran trapassate. Quel famoso Giuda Macabeo, ancorche dedito a squadronare gli Eserciti, si diede anche a raccor danajo, e mandò dodici mila dracme di argento in Gerosolima, perche se ne offerisse sagrificio per l'anima de'morti. Quanto havebbe fatto più, se fosse stato a tempi nostri, se quel Sagrificio era sol'ombra del nostro, e se aperto il tesoro dell'Indulgenze havesse potuto recar loro tanto suffragio? Unico era quell'altare in Gerosolima, ed unico in tutta la Città, e Diocesi nostra, è l'Altare privilegiato, cotidiano, e perpetuo del glorioso S. Filippo Neri: per tanto i Signori Arcipreti, Rettori, ed Economi per comandamento dell'Eminentissimo Arcivescovo pubblichino a'loro Parrocchiani sì gran tesoro; e gl'invitino a valersene, essendo santo, e salutevole il pensiere di procurare la liberazione delle anime sante del Purgatorio, acciocchè esse liberate da quelle pene, siano per noi avvocate presso il Padre delle misericordie. Benevento nel Sinodo a'24. di Agosto 1692.

G. Fodero segretario del Sinodo.

IL FINE.